

SCRIPTA

Numéro Scripta : 269

Autre(s) référence(s) : ARTEM 2749

Auteur(s) : Beauvais, Saint-Lucien (abbaye)

Bénéficiaire(s) : Aumale, Saint-Martin d'Auchy (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : ...1115...

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Giroud, abbé de Saint-Lucien de Beauvais, élève au rang d'abbaye l'église de Saint-Martin d'Auchy. Les moines pourront choisir leur abbé, à condition cependant que le premier soit pris parmi les moines de Saint-Lucien de Beauvais.

Tableau de la tradition

Original

A. Rouen, Archives départementales de Seine-Maritime, 1 H 1 (2).

Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instr. Eccl. Rot., n° XVI, col. 20-21.

Dissertation critique

Datation proposée par Gallia Christiana.

Texte établi d'après a

Giroldus abbas S. Luciani Belvacensis, et capitulum ejusdem monasterii omnibus sanctæ matris ecclesiæ filiis tam præsentibus quam futuris in perpetuum salutes. Quoniam ecclesia sancti Martini, quæ in Alceio constructa est a nobili viro Stephano comite Albæmarlensi, et a prædecessoribus ejus sumpsit exordium, et eorum liberalitate monasterio S. Luciani Belvacensis in eleemosynam collata est communi consilio et assensu ; præfato comiti Stephano Albæ marlæ, et heredibus ejus concedimus, et præsentis scripto confirmamus, ut ex quo præfata ecclesia S. Martini idonea et sufficiens fuerit in officinis et redditibus, liceat eis libere et quiete abbatiam ibi facere, et in ea abbatem ponere, ita quod primum abbatem capiant in ecclesia S. Luciani ; omnes vero alios abbates subsequentes secundum velle suum eligant et capiant in ecclesia S. Martini, si ibi aliquem idoneum pastorem invenire potuerint. Si vero in ecclesia S. Martini inter monachos aliquis idoneus officio abbatis inveniri non poterit, in ecclesia S. Luciani eligatur et capiatur. Quod si abbas et capitulum S. Luciani concedere noluerint monachis S. Martini personam quam de monasterio S. Luciani elegerint, liceat præfatis monachis S. Martini de quacumque voluerint abbatia abbatem sibi eligere et assumere ; et ut memorata ecclesia S. Martini ab omni subjectione et exactione in perpetuum liberrima fieret, communi consilio et assensu nostro, constituit memoratus vir nobilis Stephanus comes Albæ marlæ duas marcas, vel competens pretium earum de redditibus suis de Alba marla, per manus ministrorum

suorum, qui eisdem redditibus colligendis præfuerint omni anno ex quo abbatem in eadem ecclesia beati Martini ordinari contigerit, monasterio S. Luciani Belvacensis tam a se quam ab heredibus suis reddi in perpetuum. Actum est autem hoc coram his testibus, Theboldo, Bartholomeo, Gisleberto, Gosleno, Nevelone, Arnulfo, Waltero, Balduino, Radulfo, Garnero, Hugone, Rogero, Bernero, monachis S. Luciani ; Roberto decano, Nicolao, Roberto de Luceio, Bernardo, Richardo filio Mariæ, Theobaldo, presbyteris ; Wiberto filio dec. Willelmo, magistro Garnero, clericis ; Willelmo filio comitis, Stephano fratre ejus, et Ingelranno Hugo Tirel ; Girardo vicedomino Pinconii, Hugone de Mortuomari, Ingelranno vicecomite, Willelmo Gisa, Henrico et Ansoldo et Manasse filiis ejus ; Girardo de Cagneio, Hugone de Oiri, Ulberto Const. Radulfo de Porta, militibus.